

ORATIO  
IN STUDIORUM  
INSTAURATIONE

AD JUVENTUTEM VALENTINAM

H A B I T A

IN THEATRO UNIVERSITATIS,  
Die 18. Octobris, anno 1741.

A P. FAUSTO BASQUAS, SOC. JESU,  
*Rhetoricæ Professore, olim in Scholis Universitatis Of-  
censis, postea in Scholis Urbis, & Universt. Casarau-  
gustana, nunc in Scholis Valentinis.*



*Vt. D. Franciscus Borrull, f. U. D. Canon. & Univ. Valent. Rector.*

VALENTIÆ:  
EX OFFICINA JOSEPHI STEPHANI DOLZ.

AD LECTOREM.

**A** Mice Lector : P. Faustus Basquès , tum aliis nominibus , tum etiam Oratoriâ facultate satis notus , habuit Orationes duas ad Juventutem Valentinam , quarum prima dum Authoris modestiæ consulitur , jam publicam lucem subterfugerat ; nunc verò cum alteram Amicorum industriâ , & sumptibus in lucem emittimus , primam illam è blattarum potestate potuimus deripere. Id unum , te monitum volumus. Vale , & fructuere.



**U**IS unquam æquus rerum æstimator arbitrari posset , incondito Anseris cantu fortissimos homines excitandos esse , ut imminentes jam jam hostis insidias præsentissimis viribus propulsarent ? Scitis verò Confessores Optimi , ita quondam accidisse , dum Gallis intempestâ nocte Tarpejam arcem invadentibus , Romani Vigiles obstrepentis Anseris vocibus excitati , ab hostibus muros , Urbem à ruinâ liberarunt. Hoc sanè , quod sapienti cuique mirum videri debet , mihi in hac amplissimâ litterarum innovatione doleo contigisse ; hodiernâ siquidem luce , post intermissa studiorum certamina , injucundo dictionis meæ sono , vos amplissimos Viros , vosque egregios Juvenes ad iteranda Virtutis prælia , ad comprimendos sapientiæ hostes , excitare compellor. Novi certè , quàm sit necessè imparem omnino tantæ causæ succedere , qui , quamvis paratissimus , apud vos egregios Viros dicere aggreditur ; adeò enim circumfusam hujusce laudationis coronam vestrâ benevolentia auctam hodiernâ die , amplificatamque undique circumspicio , ut intrâ hæc ornatissima septa numerare mihi videar quidquid nobilitatis , quidquid auctoritatis , & scientiæ apud Valentinam Urbem reperiri gloriamur. Perspecta

demum mihi est vestrae naturae, vestraeque indolis celsitudo, quae animis ad litterarum studia examussum conformatis, monitore non indiget, ut in adeundo scientiarum curriculo, Ingeniis sese praeferat validioribus. Sed quoniam casu factum aliquando est, ut ingratisimam occidentis voce strenuissimi omnium ad arma consurgerent, audendum aliquid mihi erit, & quod exacta dicendi methodo praestare neutiquam possem, simili tandem fortunam contigisse videatur.

Ad arma igitur evoco militares copias, litterarias inquam Palladis cohortes in Minervali pulvere certaturas, & ut oratio mea undem exorsa est, aequabili progressu deducta, eodem usque perveniat, placuit hodiernam die morem Romani praeficii cum Academicis studiorum initiis comparare. Videbitis haec litterarum studia, & armata illa bellorum agmina iisdem ritibus adoriri: exponam vobis Scholastici Belli simulachrum, ritus, acies, Ductores, & praemia, ut exinde facile quisque deprehendat ardentissimum nunc bellum iniri, quod ingenti studio aggreudiendum sit, sedulam instaurandum curam, summis tandem Viribus perficiendum.

Age ergo: Cum Romanae genti animo infederat militares copias in aperta Martis pericula convocare, ad Jani Templum Deorum omnium prudentissimi frequentes accurrebant, & Templi limina, quae intermisso pacis tempore tamquam ad otii Sacramentum clausa fuissent, praesente ad belli nuncium populo, toto reducto cardine patecebant, tamquam si praesens Deus apertissimo numine pro cla-

sico bellum iterante totis aedibus resonaret. Tum aliquis ad id muneris destinatus in columnam Belatrici Deae sacram conscendebat, ibique arrepto telo, simul ad arma toto ore conclamans in eam partem, quae hostiles acies oppugnandae erant, validissimum telum in praeficii signum coniciebat. Repente tota juvenus fremere compressam virtute, viccos omnes, Plateas, Urbem impedire frequentiam, sphaeram animis exaequare. Non ne Auditores Op. eadem nos hodiernam die non sine ingenti laude praestari conspiciamus? En modo altioris prudentiae Janus, Scholasticis mensibus annum aperit, atque Academia nostra, verioris Sapientiae Templum fores libenter referat, Milites conscriptura fortissimos, eodemque firmatos animo, virtute erectos, appetentes gloriae, aspectuque ipso triumphos exhalantes ad Minervale stadium emissura: & nequid Romanae desit Historiae, ego simul in hanc pugnam Palladis ornatissimam Columnam bellum Sapientiae clarigaturus ascendi, ut adversas copias demonstrare a vestro robore foeliciter profligandas. In hoc ergo Scholastico invadendo certamine, ne studiosae acies optimi exercitus ordine non succedant, quae quisque tenere debeat locum, cui adesse vexillo, diligenter audiat, & observet.

Primas Legiones ducet Theologia Sacra, quae Divino Soli proximior, eiusque splendores excipiens, lucentem viam sequacibus vexillis praemonstrabit, primosque recipiens impetus, luce excacabit errores, aut aegre obsistentes hostes clarioribus hinc, inde radiis dissipabit. Hi quidem strenuissimi Milites me-

ritò primas obtinent sacrato ordine præeuntes, ut de his Poetarum Maximus cecinisse videatur:

*Hos Pater Omnipotens, si quando adversa vocarent,  
Rectores Juvenum, & rerum dedit esse Magistros.*

Hæc facultates inter reliquas altiùs evolare didicit, ut quæ Supremas Divini Numinis Regiones, & in-vias Cœlorum vias noverit peragrarè. Hujus vestigia proximior insequitur utraque Juris-Prudentia, Canonica, atque Civilis, non minùs avitum splendorem, & in difficillimis rebus dexteritatem fortita. Hæ jam diu lites, certamina, atque conflictus subjurgare expertæ, mirum sanè quot strages, quot funera edent, in pertinaces errorum cuneos sapientissimo consilio decertantes! Quotquot enim, vel Historia celebrat Victorias, vel fortissimi Milites anhelant, majoris laudis æmulum Jurisperitorum agmen proprio sibi jure comparabit. Tertium habitura locum, cohortes instruet suas Medicina, eò meliùs pugnatura, quò gravioribus infortuniis sæpè mederi sciet, & valebit in adversos casus nihil minùs fortiter insultare. Hujus lectissimis Legionibus exercitùs robor instructum, nullà poterit parte infringi, aut infirmari; Gallenica quippè scientia reliquis curâ validior, Machaone etiam insperato, cuique casui providebit. Stationem alteram, nec minùs nobilem tenebit Aristotelica Philosophia, quæ in suas bipartita phalanges, Angelicam unam, alteram tandem Eximiam, easdem partes tuebitur tam acriter in errores, ut mirere divisam, & sapienti oppositione concordem, mirere præterea immensos spoliolum

acervos ereptos hosti, quibus Philosophi benè de litterariâ Republicâ meritissimi Minervales copias augeant, & ditescant. Postremas acies fortitudine, ac dexteritate non ultimas sustinere debet Humaniorum Litterarum cohors validissima; erit hic Juventutis delectus, flores ætatis amoenissimi, flores tamen, à quibus litteraria pugna fructus uberes consequatur. Si quis enim existimat, minorem Gloriæ fructum ex humanitatis flosculis, quam ex gravioribus colligi disciplinis, vehementer errat; omnia enim cæterarum rerum studia, nisi præsidariis Eloquentiæ copiis obarmentur, debilia profus in certamine, sterilia nimis in messe necesse est, reperiantur. Habetis jam, lectissima, ac florida juvenus, partitos labores in litterariâ Palæstrâ, labores tamen, quibus possitis cingere fronti palmas splendidis sudoribus irrigatas. O immensum Sapientis animi robor! O decus egregium tot Victoriis exornandum!

Video jam vos Confessores Optimi, orationi intentos, obstupentes animis, dum hæc excelsæ Palladis agmina, miro ordine instructa, versicoloribus signis distincta contemplantini, vosque, egregii Adolescentes, avidissimè Hostem omnium expectantes audire, ut collatis signis pugna acris insurgat. Hæc reliqua pars orationis meæ, hostes nempè detegere, quos ignea vestra virtus absumat. Indico igitur Ignorantiæ bellum; in illam, in illam plusquam Lernæam Hydram, stulta, sed venenata nimis capita pullulantem, in illam inquam vestræ manus exeruntur. Et, ut quâ possitis ratione ipsis penè oculis ad-

versantem nobis potentiam deprehendatis : fingite animo immanem illam Thebarum Sphingem , quam sapientissimi homines ignorantiae hieroglyphicū esse vulerunt. In mediis viarum spatiis , atque adeo in ipsā orbis luce supra editissimam rupem habitat Sphinx illa crudelissimum monstrum majoribus hominum odiis prosequendum. Virgineam ostendit faciem , quæ nitentibus oculis , purpuratis genis , cinnatis crinibus ingentis speciei venustatem representat , reliquum corpus plumis avium undequaque circumdatū , hirsutam oculis obijcit foeditatem , crura tandem Leonis sunt , irā , & curvatis unguibus ferocientis. Proh Deus immortalis ! Quale monstrum ! Dii talem terris avertite pestem. Ita hæc , quam exponimus ignorantia , inertes homines , quos blandienti vultu pertraxit , vanissimā illā plumarum levitate circumagit , & tandem cæco furore discerpit. Hanc , communem hominum hostem attentissimè inspicite , Adolescentes Op. ut sapienti ductu decertantes , ipsam conficere valeatis. Muliebri illi conspectui ne credite , species illa ementita est , & ascititia , non vera pulchritudo , sed inanissimus fucus venustatis : desidæ , & otii simulatione invitat animos Juvenum , & nisi solerti consilio rejiciatur , eos , quos à Sipientiæ castris ad sua agmina deceptos abducit , summā levitate circumductos crudelissimo subijcit dominatu.

Nec unam pugnare tantum ignorantiam arbitramini , aut eam esse sociis , & copiis destitutam. Ducit enim secum innumeras errorum cohortes , ferro , & multiplicibus dolis obarmatas ; ducit etiam

foedissima vitiorum agmina , nescio enim , quam miserā , fatalique hominum conditione , ferè omnes sapientiæ adscriptos milites , quos ignorantia foedè seduxit , in alto vitiorum cœno convolvit , nec tantum decipit fraudibus ; sed turpi etiam fordidāque lue contaminat. Tantus est , qui studiosis hominibus objicitur hostis , infensissimus ille quidem , nisi quod sanæ mentis neminem non sponte cedentem subjugare potest. Undè si florentissimas Urbes , imò , & Regiones plurimas vis ignorantiae effrenata perdomuit , eos tantum devicit , qui inertiae dediti vegetigales manus , & liberas cervices indecoro jugo tradiderunt. Vos verò , quibus Valentini nominis memoria animos indidit ad altiora merita , quos illustris Patriæ amplitudo spe aluit ad Coronam , nullos tantæ feritatis incursus formidabitis , in illam audaces ibitis , irruetis. Hæc ergo vobis obruncanda manet , hæc vestros aditura triumphales plausus descendit in campum ; video enim jam errantes ignorantiae copias infoelici omine ruituras , video interurbatos errorum ordines , summis vestrorum animorum viribus concidentem.

Nec aliter quidem , Adolescentes Op. ominari licet , si maxima illa virtutis vestræ incitamenta , quæ omnibus retrò sæculis , Valentinum hoc Sapientiae domicilium densissimā serie compleverunt , attentè intueamini , habetis namque clarissimos Viros in omnium facultatum genere Principes , qui ex hoc Minervali campo , tamquam ex Trojano Equo non urbem aliquam everfuri , sed orbem universum or-

naturi prodierunt. Circumspicite, quæso, mecum ditissima hæc Licœi nostri aulæ sapientissimorum hominum imaginibus insignita. Hæc sunt, muta quidem, sed eloquentissima Minervæ oracula, quæ ad doctrinæ certamina ferventiùs capesenda, animos vestros immortalibus gloriæ stimulis provocare non desinunt. Circumspicite, quæso, Adolescentes Op. Ad Divinam Theologiæ Lauream aspiratis? Cernite nobilissimos olim in hoc campo Athletas, Illustrissimos Jacobum, & Baptistam Perez, Ludovicum à Borgia, Baptistam de Lanuza, innumerofque alios ab his Theologiæ subselliis ad amplissimas Hispaniæ infulas exoptatos. Excelsos Jurisutriusque honores exquiritis? Habetis nihil minus Duces egregios, qui sub his Minervæ vexillis meruerunt, Ximenium Perez de Figuerola, Didacum Sanz de Covarrubias, Christophorum de Valdaura, aliosque complures, qui ad altiora Reipublicæ gubernacula jure suo, & quidem optimo conscenderunt. Medendi artem amatis? Habetis etiam apud Vos, Hippocrates, & Galenos, simili namque laude præstantes edidit Academia nostra Pomares, Ximenios, Segarras, & Ledesmas. Philosophiæ laurum ambitis? Perspicite Nunefios, Masios, & Monzonios, tantæ laudis honore conspicuos: Quid deinde? Ad Rhetorices fastigiatos apices convolatis? Excelsos vobis Spiritus addent, immortalis ille Vives, qui in omnium memoriâ vivit adhuc, Palmirenius, & Samperius clarissima quidem nomina, quæ non modo Lycoëum istud, sed alia etiam regna immensâ gloriâ compleverunt. Sed quid

lon-

longinqua commemoro? Ad hæc Doctrinæ Prælia felicibus auspiciis adeunda Ductores etiam nunc habetis egregios, quos Viros? Proh Deus immortalis! Viros inquam omni doctrinæ laude clarissimos, Valentiniæ Ecclesiæ Præpositos, quos cum nominari auditis, scitis jam Viros doctissimos, totâque Hispaniâ celebratissimos nominari, Doctores etiam, ac Magistros, tanto ingeniorum acumine; tantæ doctrinæ gloriâ conspiciendos, ut dubitari non liceat, vos eorum vestigiis inhærentes tamquam invictos triumphatores ad alta Sapientiæ Capitolia provehendos. Quid tandem? Unum fortè desiderare aliquis posset, Mecœnatem nempe, qui æquâ lance exanthlatos in pugnâ labores dignis præmiis compensaret: hoc denique apud nos desiderari non licet; habemus namque hunc Valentiniæ Urbis Senatum amplissimum, cujus sub splendenti umbrâ ipsa etiam sapientis belli pericula erunt foelicissima; Valentina enim Senatorum curia Romam non tantum nomine, sed factis potius imitata, ut Tullii verbis utar, semper fuit; orbis terrarum Consilium, Templum sanctitatis, amplitudinis, Consilii publici, arafociorum, portus omnium gentium, innocentium perfugium, & ut uno verbo dicam, quæ Senatoriâ majestatem reliquas inter Hispaniarum Civitates obtinet principatum. Quare si hæc, de quibus loquimur ingeniorum prælia, honorum stimulis apparantur, mentis acumine exercentur, præmiorum illecebrâ conficiuntur, in hac Areopageticæ Senatûs dignitate, quidquid esse possit, vel meritorum merces,

vel

vel incitamentum honoris, vel denique laudis acroama præsentissimum omnibus demonstratur.

Quare, Lectissimi Adolescentes, pro galeâ armetur caput rationis pondere plusquam ferreo, adamantino thorace instructum pectus periculis objiciatur, dextram impediatur ingeniosa lancea acuminato mucrone terribilis, sinistra Minervæ Ægide insignis eludat adversos ictus, quo pacto triumphis speciem ipsa etiam bella præferent, ut exigere modo videntur invictam decertantium Juvenum robur, mira imperantis Academiæ majestas, & egregia vestræ gloriæ celsitudo. Nunc usq. Con. Op. depræliantis Athenæi nostri clarissimos ordines perlustravimus, teterrimum Litteratorum Adversarium ostendimus, Copiarum Duces, ac Præfectos recensuimus: unum tantum restat, ut clarigantis bellum muneri satisfiat: excitare nempe vestros assuetos victoriis animos, & invictis jamdiu pectoribus novas vires inducere. Ultimus hic ergo restat actus.

*Ære ciere Viros, Martemque accendere cantu:*

Ita sanè, sit utique in gratiam Juventutis.

*Eja agite, ò Juvenes, in pulchra pericula laudis*

*Ite, triumphales ducturi ex agmine palmas.*

*Nulla Valentinas poterunt fera fulmina lauros*

*Sternere, Victrices ad classica signa cohortes*

*Instruite, infensus vestris cadat ictibus hostis.*

*En vobis honor arma dabit, fors addet honores,*

*Dumque micans Phæbus superos circumvolet axes,*

*Vester bonos, vester cantabitur orbe triumphus.*

DIXI.